fœmineo corpore in infantis caput transire potest? Hæc igitur & talia quis facilè intelligat, uel omninò falsa esse, uel casu tantùm aliquando contigisse. Quòd uerò Aegyptum linum filis tot numero consiet, quot sint dies anni, id est, CCCLXV. tametsi Volaterranus etiam affirmet, & esse possit: dubium tamen apud me est. Sicut & illud, apud Benacum lacum abietis genus esse, ex quo uasa facta uinum remittant. Et rursus, oleam à capra decerptam, contabescere: hæc enim persæpè succedere, non tamen semper, est existimandum, atq; in alijs alia.

Linũ Aegyptium 365 filis cõstat.

Vasa, quæ uinũ remittunt.

Olea à capra decerpta moritur.

Inter miracula plantarum capillis Veneris reponitur, qui cùm æstate uireat, hyeme tamen non tabescit. Sed ut diximus, maius miraculum est de Alexandrina herba, quæ hyeme solùm germinat, & lætior prouenit. Ergo ad capillum Veneris refertur, quod aqua infusa non madeat, unde adiantum: ἀιάνω enim, madefacio. Constat tamen diu infusam aquis distillari, reddereq; copiosam aquã. An forsan mora trahit, aut aqua uiribus imbuta cùm destillatur, uires retinet, præsertim mixta ei, quàm planta ipsa reddit.

PLANTARVM CVRA.

CAP. XXIII.

Quercus Basileæ mira.

QVANTVM prosit cura arboribus, præcipuè ostendit quercus Basileæ in dũi Petri nemore, truncum terni uiri diductis manibus uix ambiunt: altitudo minor, quàm hominis: exerit in uertice sex, aut septem stolones sensim ascendentes, ut imaginẽ pateræ referant: inde crebrioribus ramis, tum & ramusculis ita densatur, ut olim referant Cæsarem Maximilianum cœnasse in ea, discubuisseq;. Siquidem ambitus pedes centum cõtinere

haud

haud dubium est, cùm numerando illam circuirem. Ergo hac diligentia quamuis sterili solo, frigidoq; cœlo, Basilica quercus cum Lycia platano iure decertabit. Et quamuis glorietur Licinius Mutianus, eius prouinciæ legatus, cœnas se sæpiùs sub platano cum decemocio socijs, multò tamen plures quercus Germanica supra excipiet, quàm platanus illa adumbrauerit. Sed discrimen erit, quòd Mutiani platanus LXXVI pedis altitudinem habuit: quercus hæc (ut dixi) humillima est. Refertur etiam: in Creta (quod mirum non est) platanum fuisse iuxta fontē, perpetua fronde uirentem. Id magis mirum, sola cura eam arborem, quæ uix in Italia ob negligentiā uideatur, in Anglia & Scotia esse frequentissimam. Numerauimus nos in uiridario monachorū beati Augustini, quod in suburbijs Edimburgi est, supra uiginti platanos, quarum quædam pedes XXX superabant, & tamen ea regio est frigidissima: id ergo cōtingit partim diligentia, partim (ut reor) maris propinquitate, adeò ut hyemes ea regio mitiores habeat. Delectari puto eos hac arbore, quòd folia uitibus, tam similia habeat, ut cùm uidissem surculos plantatos, existimarē Scotos uites colere: itaq;, uel ti amatores, quod uerè possidere nequeunt, imaginibus imitantur. Habet autē non solū cum uite affinitatē in foliis, sed etiā in pediculis, sarmentisq;, & quod uino maximè gaudeat & adolescat. Rectè itaq; Scoti fecisse mihi uidētur, ut postquā paucas arbores solū ferat, eam delegerint colendā, quæ omnū sit pulcherrima. Eodē studio fermè Angli, suis syluis eas inserūt, ut postquā fructiferis fermè carendū est, nō fructiferarum formosissima deligatur. Neq; uerò ob frigiditatē tantū fructibus tota Anglia aduersatur, quantū ob uētos ualidissimos, à quib. primū flores, inde si qui fructus successerint, excutiūtur. Memini me tamē in

Platanus semper uirens.

Platanus in Scotia & Anglia.

Scotia,

Scotia, dum prope Angliam essem, edisse circa medium Septembris pruna fermè matura, quæ in humilibus arboribus creuerant: didicique, potiùs uentorum ui, quàm frigoris iniuria, deesse fructus. Itaque huic incommodo succurremus, si murum altiorem erexerimus, maximè ea parte, qua uenti sæuire magis solent, si arbores humiles, tum genere, tum arte nutrierimus, si hyemis temporibus fimo, paleaque eas muniuerimus: deinde si ea, quibus gaudent singulæ, copiosiùs adhibuerimus, quæ adhiberi possint, eorum loco, quorum facultas deest: denique si in eodem usu, patientes cœli elegerimus: uelut pro olea, quæ collibus siccis, & argilla gaudet, tum maris propinquitate, nux. Sed (ut uideo) non tantùm oleis, sed etiam nucibus, & quibuscunque oleum parientibus, tota Anglia, magno incommodo, caret. Nam & si adipis copia plurima adsit, tum butyri: butyrum tamen piscibus iunctum, elephantiasim generat: quo morbo Gallia & Anglia, sed magis omnibus his Hibernia laborat.

Fructq quomodo nutriuntur in contrarijs regionib.

Anglia oleis & nucib. & oleo caret.

Itaque non solùm egregij Regis est, armis fines tutari, aliena inuadere, strepere bello: sed sapientissimi atque optimi (qualis tu es) meliorem prouinciam reddere: hominum multitudinem augendo in primis, artem militarem edocendo, custodiendo que leges, concordiam inter illos tuendo: arces tutas locis opportunis erigendo: urbes & uillas amplificando: colendo quod incultum est, atque ex pratis campos faciendo, ea quæ sunt necessaria, & tamen in prouincia deficiunt, instaurando, demolita reparando, disciplinarum studia introducendo, demumque altissimi leges inuiolabiles seruando: hæc si quis opere, pecunia, exemploque iuuerit, plus proficiet, quàm si totos dies bellis consumpserit: quanquam & in his is erit fœlicissimus, qui hæc obseruarit, pulsis ex toto adulatoribus: luxuque omni, qui perniciem maximam

Edoardum VI. cui hoc Opus dedicabat, alloquitur.

affert

affert his temporibus, sublato. Ergo ut ad rem reuertar, olei instauratio in Anglia, & maximè necessaria, & facillima est: cùm (ut dixi aliàs) omne semen oleum contineat. Edocent id prouinciæ finitimæ: nam præter cætera incomoda, lumen ex sepo uisum debilitat. Tentandum igitur est in oleis primùm, inde in nucibus, alijsq́; quæ oleum continent copiosum: nam fieri uix potest, ne etiam aliquo loco cultæ oleæ proueniant, atq; etiam nuces. Parua hæc uidebuntur quibusdam qui magnum spirant, ô Rex: sed scias oportet, mortalia omnia exigua esse, minimisq́; constare. Et qui minima negligunt, magnum quidem imperium fortuna habere possunt, sed non uirtute diuturnum.

Rapa maxima euadunt, si profunditate digiti germen eruatur, inde sulcis rariores obruantur, atq; terra iniecta calcabis. Hoc quidem simplex & uile? imò non: nam causam audis, nobile fit quodcunq; præreptum ad alia transferri potest. Igitur eruto germine funditûs, cùm radix nihilominûs trahat, necesse est ampliùs tantò augeri, quantum est quòd in folia, & truncum absumeretur: calcatur terra, nam aliter sauciata radix facilè ex humido & aëre corrumperetur. Hoc autem aliàs docuimus. Constat igitur, in his naturam, saporem, odoremq́; uariari, quandoquidem & germinis, & foliorum participes sint. Rapa ut maxima fiant.

Referũt, bidente cupreo extincto in sanguine hirci gramen erutum, non ampliûs repullulare. Summa enim cura est adhibenda, ut terra pinguescat: hoc fieri stercoribus haud dubium est, sed asininum præferunt: ne exhauriatur, aut uitietur, quod à iuglandis umbra ac uicinitate fieri contendunt: cuius causam aliàs retulimus: ne impediatur ab inutilibus, uelut filice, gramineq́: porrò de his iam dictum est. Gramen ne regerminet

Planta-

Plantis serendis, quę necessaria.

Plantarum commune est quoddam, quod tamen iuxta naturam earum debet uariari: scilicet ut solo, cœlo, regione, loco, tempore conuenienti serantur: solo uelut arido, sicco, humido, pingui, cretaceo, sabuloso: cœlo humido, sereno, pluuioso, calido, uentoso: regione orientali, occidentali, boreali, australi: loco in Germania, Syria, Pannonia, in montibus, in aruis, paludibus, in umbra: tempore brumali, uere, æstate, sub ortu syderum, uel occasu. Præterea cura, ut fodere, sarrire, occare, stercorare, irrigare, necnon obtegere, uestire, purgare: atq; hæc omnia seu seramur, seu inserantur, inoculentur, emplastrentur, repastinentur, transplantentur: purgantur à solijs inutilibus uites, ut uuæ meliùs maturescant: à noxijs animalibus, formicis, erucis, atq; similibus: à fructibus etiam inutilibus, ne alij contagio pereant, aut nutrimenti inopia tabescant: auferuntur & uiles quandoq; ut reliqui fœliciùs proueniant: qua ratione factum est, ut cucurbitæ genus illud maximũ prouenerit. Sunt enim cucurbitarũ genera tria. oblongum, marinum, sylueſtre: sylueſtris, rotunda est, & minima, & amarissima, quam uocant colocynthim: alia, quæ somphos, manis, & inter lapides nascens. Oblongum, cubitum persæpè excedit: hoc utimur in cibis, candidũ intus, exteriusq; sed non adeò: medulla leuis admodũ, & insipida, recensq; decocta editur. Marina uerò est, quæ in maximam excrescit

Cucurbitarũ genera.

Colocynthis.

Cucurbita longa.

Cucurbita marina.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-30760-p0308-2 DFG

crescit molem, forma qua uides: neque enim breuiùs exprimere, quàm pictura, aut euidentiùs potui. Vidi apud Hieronymum Amatum tabellionem, & cognitorem causarum duas, quarum altera octoginta, altera centum uigintiduas libras penderet: res prorsus mira: unum semen, unam tantùm gignit cucurbitam, nec semen maius, quàm aliarum, nec radix ampla, sed exigua: fructus igitur raritate crescere, non est admiratione dignum, sed consuetudine præcidendi factum, ut planta unicum fructum parere assueuerit, certè id admiratione dignum ualdè est. Erant autem cortice atque medulla similes prorsus aliis sui generis, uelut & forma. Nam marinæ cortice sunt crasso, adeò ut uinum rustici in eo condere soleant, uiridi ex albo maculoso, uelut quorundam serpentum dorsa, medulla grauior, duriorq; longè, quàm longarum, coloriscq; non albi, sed ferruginei uirescentis: pullum dicere posses, uelut pellis léporis, ni lucidus esset aliquantulùm: ob id igitur non editur recens: est enim adeò humida, ut non possit benè coqui, sed siccatur integra in fumo: nec elixatur ut oblonga, sed frigitur cum oleo & sale: quibus si garum, piper, allium, petroselinumq; addideris, fiet cibus etiam mensis splendidioribus aptus.

Cucurbitarũ magnitudo incredibilis.

Plantæ septẽ modis propagantur.

Plantæ autem omnes, septem modis propagantur: quædam enim spontè nascuntur, ut cupressus in Creta, & apud nos tribulus in agris: uerisimile uerò maximam partẽ sic posse gigni, tum quia ubiq; nouas plantas nasci nulla cura uidemus, & maximè ubi imber deciderit, aut fluuij inundarunt: tum quia inter genera piscium, qui perfectiores sunt plantis, multa sic nascũtur, ut aphyæ, cyprini, tincæ: semine omnes uidentur posse gigni, licet multa genera cõmodiùs: sic quercus, castanea, brassica, triticum. Id si inter

lignum

lignum, & corticem intrudatur, inoculatio dicitur. Plantantur etiam multæ radicibus, uelut iris: aut surculis, ut uitis, & salix. Quòd si surculus inter corticem & lignum intrudatur, insitio dicitur. Quòd si auulso cortice usq; ad lignum, alterius plantæ cortex cum ramis opponatur, sic ut uulnus acceptum, ad unguem consolidet, alligetur q; uocatur emplastratio.

Repastinatio dicitur, cùm surculi, rami ue, maximè uitis, aut alterius arboris antiquæ desodiuntur, aut etiã truncus inde post biennium emissis radicibus, ab antiquo stipite præciditur. Memento etiam quòd quædam plantæ ex suis truncis dissectis oriuntur, quoniam uicem surculi referunt. Est tamen sciendum, inoculationem etiam fieri gemma intrusa sub cortice iam prius auulso. Insitionem quoq; fieri diuiso trunco, non solùm cortice diuulso. Cauendum tamen est, ne germinantibus plantis, aut florentibus hæc fiant, cùm tunc sint imbecilliores: adeò ut referant, nucis ramum dentibus demorsum ab eo, qui prius lentes diu manderit, si floreat, totam arborem interimere. Etenim non alia est ratio, quàm si his temporibus planta uioletur, aut cortex, medullãue uehementiùs lædatur. Clara autem ratio est, cur ignitus clauus radicis trunco principaliori infigatur. Sunt qui fabarum putamina iuxta radicem sparsa, exitium arboribus plerisq; parere existiment. Id si uerum est, non aliter fieri existimandum, quàm acri succo tanquam ueneno.

Quæ plantas occidãt

In uniuersum plantæ mutant sapores, odores, colores, magnitudinem, formam, tempus edendi fructus, uim, naturam q;, aut insitione seu mixtione cum alijs, uel loco, uel cultura, uel si semma, aut surculi terræ, quæ maduerit certo succo, tandiu plantata manserint, donec gemmas emittant,

tant aut germen. Ita posse rosarum aut uiolarum, sed tamen tenuiter, odorem referre fructus, qui producuntur, persuasum est.

Quæcunq; uerò plantæ in arborem mutantur, ut rocellæ, ruta, caules, iuuantur maritatione, putatione diligenti, & ut æstate à frigoribus ac uentis, tum cœli iniurijs tutæ sint, hyeme uerò palea uestiantur, nec solùm folia & ramuli amputari debent, sed etiam ipsi rami: communis enim ratio est, ea quæ dicta sunt: debet etiã uelut animalibus dũ iuuencula sunt, copia alimenti suggeri, uelut ex stercore, & ramentis, aquaq; perfundi. Eadem enim ratio uidetur, & incremẽti, & perpetuæ frondis, & magnitudinis fructuum, & transitus in arborem: sed hoc, ut solùm plantis uitæ longioris conuenit, ita omnia amplectitur, quæ enim arborescit planta, & frondem retinet, & augetur, & fructus maiores edit. Inde uerò per successiones adhuc magis augentur, & confirmantur, iuuat, & ab initio laxitas terræ, & cœli constitutio. Contrarijs autem causis degenerant arbores in arbusta, ut de sylueſtribus uidemus. Arbusta & herbæ quomodo in arbores trãsiẽant.

Simili ratione mutantur, & à similibus colores, & mãgnitudines. Argentorati, caules sub bruma maximi erant: in Belgica purpurei, ut punicæ uiolæ, iucundo aspectu, adeò ut mirari contigerit tantam pulchritudinem in tam uili obsonio, quamuis albos ferant esse meliores: rubent alia uini fece, alia æstu maximo, ut de betis dictum est. Calore uerò cùm omnia augeantur, cura auctos fuisse necesse est: nihil autem refert, seu calor intus sit, aut in ambiente. Caules puniici & maximi.

Cancros & fortè etiam gammaros, salicibus suspensos, tum etiam alijs arboribus, iumenta ab illarum iniuria arcere, pro constanti traditum est: id uerò contingit partim formæ absurditate, partim odoris fœditate: nam iumenta Arbores ne à iumentis lædantur.

odorem omnem animalis mortui: plerunq; etiam uiuentis, si eiusdem speciei, refugiunt.

Ficus ut celerrimè maturescant.

Ficus ut celerrimè maturescant, ubi ad iustam magnitudinem creuerint acu perforato, oleoq; liniantur, & oliuæ folijs circumtegantur, ac ligentur: calor enim non impeditus ab aqueo humido, ipsos fructus concoquit. Est autem Aponensis Conciliatoris experimentum. At quædam proprietate augentur, uelut apij radix à panico, mirũ in modũ.

Sic & quædam alijs commodè inseruntur, quædam si inserantur, pereunt: atque ita contraria ratione, aliæ plantæ admittunt, aliæ non admittunt quasdam. Omnis autem insita arbor, si fructum ferat, speciem propriam retinet, saporem, aut odorem, substantiam & magnitudinem, media quasi inter insitam, & eam cui inseritur. Cumq; natura plurimùm differunt, difficulter uiuunt: & adultæ, facilè pereunt, aut sterilescunt. Concipiunt faciliùs molles, sed utilior in uiuacibus arboribus. Securè igitur inseruntur, tanquam cognatis naturæ qualitatibus, ut oliua oliuastro: utiliter autem, sed non tutò, uiti, ut aliàs diximus. Inseruntur autem aut ob fœcunditatem, uel magnitudinem, uel suauitatem fructus, ut agrestia cultis: aut ob mixtionem naturæ, ut pirum sorbo: & citrea uarij generis inuicem, tunc q; affinia affinibus: uel ad decorem, ut poma moro: uel ob coniunctionem diuersarum qualitatum, ut persicum amygdalo, uel nuci, uitis myrtho: quandoq; ob uarietatem, ut eadem arbor fructuum genera plura simul ferat: nonnunquam cùm arbor uitium aliquod contraxit. Siliqua itaq; commodè amygdalo, uel pruno. Prunus uerò castaneo, sed amygdalæ longè præstantius, ob fructus excellentiam. Citrium, quod & malum medicum, piro, & moro. Mespilus, malo, & piro. Ficus, caprifico (id genus est syl-

sylueſtris ficus) inſeritur: commodè etiam platano, & moro. Sorbus, ſpinæ albæ & cidonij plantæ: ita ut quæ alienæ aluo inſeri minimè patitur, alterius tamen arboris inſitionem admittat. Morus inſeri poteſt ficui, fago, fraxino, ulmo, caſtaneæ, ac terebintho. Caſtanea autem ſalici. Nux arbuto, & pruno. Ceraſus populo, platano, pruno, ſed conuenientius lauro, cùm quandam odoris gratiam contrahat, & minùs uermibus infeſtetur, ſpecioſuſq; rubeus fructus inter lauri redolentia, ac uiridiſsima folia ſpectetur. Perſicus nuci, platano, pruno, & elegantiſsimè amygdalo, ut aliàs dixi. Amygdalus pruno, perſico, caſtaneæ, ac ſiliquæ. Piſtatia amygdalis, & terebintho. Granatum cidonio, & corno, ut quidam exiſtiment mirum fructum gigni. Pomum piro, pruno etiam ſylueſtri, ſorbo, platano, perſico, caſtaneæ, meſpilo, ſali, pomoq; ſylueſtri. Pirus piraſtro, amygdalo, fraxino, cidonio, orno, meſpilo, granato, caſtaneæ, ſpinolæ, etiam arbori ſalici. Præcocia, pruno. Mixa, ſpinæ, uel ſorbis. Seruandis ſeminibus, quæ ſeruntur, duo ſunt auxilia. Vnum, ut infuſa prius ſucco cucumeris anguini terræ mandes: ſic enim amarore ſeruantur, ſed & medicata fiunt. Alterum, ut acerrimæ propè ſerantur, qualia ſcilla, & arum, atque dracunculus, lupinuſq: omnia hæc præter id quod ſeruant ſemina, terram etiam à malefico humore purgant: lupinus ab amarore, cæteræ ab acredine etiam: ſed ſub dracunculo latent angues libenter, ſcilla, & cæpa innocentes, ruta ſalubrior, & utilis. Omnia autē ſemina, creſcente luna, tepidiſq; diebus ſunt ſerenda. Si uerò ad radices helleborū aut cucumim anguinū, uel ſcamoniū poſueris, pruni aut ceraſi, magis etiā uitis eū ablaqueatur, fiēt fructus illarū purgātes, ut etiā Cato docuit: idē ſi iuxta caules, & betā. Arbores occides, ſi terebra

Seminibus ſerendis.

Semina qñ ſerenda.

Fructus, & olera ut purgent.

ſub diebus caniculæ ad medullã perforaueris, petroleumq; cum ſulphure inieceris: nam æſtu ſauciæ, plantæ faciliùs pereunt: quamobrem & cortice circumſecto, aliæ ſimiliter ſub eodem tempore intereunt. Certum eſt enim, animam uel in cortice, uel medulla contineri, ut in arcanis demonſtratum eſt: hæc autem utraq;, & in trunco, & in ramis, & in radice. Si ergo inutiles herbas exſecueris his temporibus, ſulphureq; ac cinere inſperſeris, morientur. Diximus pro ſeruandis plantis auxilia, haud dubiæ rationi innitentia: proditur & aliud, ut ſemina erucarum ſanguine madeſcant: uel quod ſucco ſemperuiuæ, id eſt, Sedi maioris. Et quod maius eſt, ſufficere exiſtimant, ut in cortice teſtudinis, dum uiridia ſunt, recondantur.

Plantas ut occidas.

Plantæ ut ſeruẽtur auxilia magica.

VINVM, ET ACETVM.

CAPVT XXIIII.

VINVM, nobiliſsimum eſt, re, uſu, atq; uarietate. Nunc uerò præſtantiſsimum Monobaſites, quod uulgus Maluaticum uocat, olim Falernum, ut & uitis Merſites pulcherrima. Sed Trazenium ſteriles faciebat, ut Achaicum abortum: alterum enim aut amarum, aut diureticum, alterum humidius. Facilè autem uino hæc facere, quod in perpetuo ſit uſu, & naturæ ualentis. Cùm uerò pinguedine propria exuitur, tranſit in acetum: ob id acetum penitùs nihil nutrit. Atq; eò acrius, quò fuerit uinum potentius. Ea cauſa uinum igne in acetum tranſit, quod ab eo pars pinguis abſumatur. Hic uerò ordo huius libri eſt, ad librum de Subtilitate: ut quæ ibi breuiter tractata ſunt, hîc diffusè, & quaſi (ut dici ſolet) ad manum exponan-

Vina ſterilitatẽ, & abortũ facientia

Cur uinum igne in acetũ tranſeat.